

Hierin fehlte Nr. 8

am 10.4.1917.

Suchier.

9.
p
DISSERTATIO INAUGVRALIS MEDICA

DE

GVTTA SERENA

QVAM

AVSPICE SVMMO NVMINE

ET

CONSENSV GRATIOSAE FACVLTATIS MEDICAE
IN ALMA ET PERANTIQA HIERANA

SVB PRAESIDIO

DN. D. JOH. HIER. KNIPHOFII

ANAT. CHIRVRG. ET BOTAN. PROFESS. PVBL.

FACVLT. MED. ASSESS. ORDIN. ET P. T. DECANI,

ACAD. CAESAR. NAT. CVRIOS. ADJVNCTI ET BIBLIOTHECARII,

PRO

GRADV DOCTORIS

SVMMISQVE IN ARTE MEDICA HONORIBVS
ET PRIVILEGIIS DOCTORALIBVS

LEGITIME IMPETRANDIS

PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI SVEMITTIT

RESPONDENS

JOH. GOTTFRIED HOFFMANN

DÜNCKELSPIEL-SVEVVS

PRACTICVS VPILSDRVFFENSIS,

H. L. Q. C. A. S. R. M DCC LI. DIE IX. AVGVST.

ERFORDIAE

Typis JO. CHRISTOPH. HERINGII, Acad. Typogr.

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is arranged in several lines and is significantly faded and obscured by numerous brown spots (foxing) across the entire surface of the paper.





PROOEMIUM.

De Gutta serena dicturus, quædam ad meliorem sequentium intellectum ex Anatomicis de *nervi optici* & *retinæ* structura præmittere debeo. Hanc subtilissimam esse, obque hanc causam multis vitiis patere, observationibus optimis constat. Est enim medulla vel minimo impetu dirumpenda & in situ suo turbanda, unde benefica natura eam ossibus & aliis durioribus partibus munivit, ne adeo facile detrimentum capere possit. Enchiresis, quam MERYVS in *Monumentis Academiæ Regiæ Scient. Parisiens.* 1712. p. 332. demonstravit, substantiam nervi optici interiorem esse medullarem, instar medullæ sambuci, & cellulis distin-

A 2

ctam

Etiam, uti eadem hæc medulla, vel corpora cavernosa penis, plane egregia est. Expressit nempe Celeb. hic vir substantiam nervi optici per extremitatem oppositam globo oculi, injecit aquam ad mundandam illam, inflavit dein & ligavit duas extremitates, ne aer exiret. Exsiccavit dein totum & transversaliter disseccuit, vidit sic, canalem piæ matris intra cranium perfecte vacuum, in parte vero in orbitâ contentâ duos canales a pia & dura matre factos separatos, sed per fibras alligatos ad se invicem, & in interiori canali cellulas. Circumponitur huic tenerriam pulpæ vagina a meningibus cerebri; non ab una sola, perfecta, & eo quidem fere in loco, ubi nervi optici in unum nervum colliguntur, accipit dein in introitu in orbitam aliam vaginam a dura matre; hæc ita colligat meninges, ut hic arcte cohæreant, cum in cerebro & in oculo separatæ sint a se invicem. Deponunt dein duram matrem, quæ *sclerotica* dat natales, *arachnoideam*, unde *choroidea* ortum ducit, & *piam* matrem, unde superior *choroideæ lamella*, *Ruyschiana tunica* dicta, oritur. *Retina* substantiam esse subtilissimam, Illustris
de

de HALLER *Vol. IV. prælect. Bærhaav. in proprias Instit. p. 168. 170.* eleganter demonstravit, afferit enim contra MORGAGNUM & WINSLOVM, substantiam retinæ a cerebri substantia nihil quidquam differre, & ex Edinburgicis Tentaminibus & PORTERFIELDII quidem scripto affert, fibras ejus in homine $\frac{1}{2}$ pili æquare; quæ subtilitas tanta est, ut mirari non admodum debeamus, si tot morbos retinæ solius occurrere in dies videamus, quot fere ab alia quapiam parte multo majori corporis humani proficiscantur. Maxime quoque necessaria est in Anatomica cognitione nervorum opticorum & retinæ, arteriarum in medullæ nervi medio & ei circumpositarum, nec non lamellæ retinæ vasculosæ consideratio, ob quas a minimo impetu sanguinis versus caput & præsertim versus oculos directo, tot mala & visus obfuscationes, Guttæ serenæ viam paraturæ, oriuntur.

§. I.

Gutta serena, quæ & *Amavrosis* dicitur, est cœcitas a constitutione præternaturali partis medullaris organi visus dependens.

A 3

§. II.

§. II.

Nimis angusta est, quam alii de Gutta serena dant, definitio, quod scilicet sit obstructio nervi optici. Depravationes enim visus, tali nomine alias venientes, non a nervo optico solo sed etiam a cerebro & thalamis nervorum opticorum pendent. Et præter obstructionem alia dantur vitia, exempli gratia, compressio à tumoribus cranii vel aliarum partium adjacentium, marcor nervi optici s. exsiccatio ejus, destructio ejusdem & cerebri per ulcera, phlyctænas, hydrotaides, & quæ sunt hujus notæ alia. Obstructio vero proprie tantum est obturatio canalis per coagulatum quandam humorem. Si vero improprie quis obstructionem etiam ad angustiam vasis quamcunque extendere velit, illi non valde repugnabo, cum in verbis nos faciles esse deceat.

§. III.

Cognoscitur ex pupille vitio, quod, si perfecta sit Gutta serena, in eo consistit, quod *immobilitas* ejus, sive potius *iridis*, adsit; si vero imperfecta sit, quædam adhuc mobilitas, sed non decens deprehendatur. Si unus oculus sit sanus, alter morbosus, hoc distincte cernere licet; si vero utrique sint viciati, non adeo distincte quidem, a perito tamen Chirurgo per deductionem ægri in locum lumini patentem vitium detegi potest.

§. IV.

Non *dilatari* solum, uti antè paucos demum annos fere omnes ophthalmiatri scripserunt, sed etiam

con-

constringi quandoque *pupillam*, & diametrum ejus in quibusdam speciebus Guttæ serenæ minorem fieri, observatum fuit nostro tempore. Plures enim dantur species, ubi, præter immobilitatem pupillæ, quæ fere essentialis est, animadversa fuit contractio pupillæ ad tertiam, dimidiam, quartam vel tres quartas partes lineæ. *Mydriasis* igitur non perpetua est affectio oculorum Gutta serena affectorum.

§. V.

Tam ab hac immobilitate & ejus gradibus, & a dicta contractione aut dilatatione, quam a distantia pupillæ a cornea oriuntur species plures Guttæ serenæ, quas recensere hic superfluum foret, cum quilibet per compositionem harum causarum immediatarum, & per gradus, qui per partes lineæ exprimi possunt (§. 4.) eas suapte Minerva invenire possit.

§. VI.

Signa Guttam serenam quandoque antecedentia, sunt imagines sive spectra ante oculos obvolitantia, & debilitas visus, sive obscuratio ejusdem. Non vero hæc signa esse pathognomonica, semper & essentialiter Guttam serenam inferentia, inde palam fit, ut multi homines per totam vitam visus debilitati, & ejusmodi imaginibus obnoxii sint, absque succedente cæcitate sive Amavrosi. Transitura vero esse hæc mala in Guttam serenam inde cognoscitur, si visum insigniter lædant, & de die in diem visus fiat obscurior, quod non fit, si causa veræ Guttæ serenæ non adest. Proveniunt hæc vitia solum a varicibus vasorum in lamella

la

la retinae vasculosa dispersis, unde fibrae retinae quaedam, non vero omnes, comprimuntur, & lucis actio in organum visus impeditur, quae successu temporis & plethora per labores, venæsectiones & abstinenciam, dissipata, quandoque iterum tolluntur; vel a fibris retinae per humorum nimium affluxum versus oculos, aut aliam quamcunque causam, paululum saltem debilitatis.

§. VII.

A *cataractâ* in eo differt, quod in illa alienus quidam color pupillam infestet, cum in Gutta serena, nisi sit complicata cum cataracta, uti quandoque contingit, nullum vitium deprehendatur, quam pupillae immobilitas & reliqua (§. 4.) dicta. In cataracta pupilla adhuc mobilis est, quod facile investigari potest, si æger in locum obscurum & rursus in lucidum deferatur; in illo enim pupilla dilatatur, in altero contractitur.

§. VIII.

A *glaucomate* differt in eo Gutta serena, quod in illo color pupillae sit instar aquae marinae & oculus durus & tumens plerumque, nonnunquam etiam flaccidus fiat; quorum prius incidit, si humor vitreus vel lens crystallina intumescant, depraventur & indurescant; posterius vero, si vitreus humor corrumpatur & destruat. Potest vero glaucoma insequi gutta serena, cum retina per tumorem vitrei humoris vel crystallinae lentis prematur, vel per corruptionem illius destruat, tuncque sequitur *Mydriasis*.

§ IX.

§. IX.

Species tantum est Guttæ serenæ, & plerumque solum imperfectæ, si pupilla oculi morboſi, clauſa pupilla ſani, ſeſe dilatât, licet luci exponatur; & ſi in hoc ſtatu permanet, uſque dum ſanus rurfus aperitur oculuſ, ubi, notante Dno de St. YVES, ſeſe iterum contrahit, uti pupilla ſani, cum ab hujus motu pendeat motuſ illiuſ. Diſtus Autor hoc pro ſigno perfectæ Guttæ serenæ venditat: ſed alii recentiores contrarium docent. Innuunt enim in omnibuſ ſpeciebuſ, priuſquam plenaria accidat cæcitas, iridiſ motuſ alterari: ſed perfectæ Guttæ serenæ tantum unam ſpeciem eſſe, ubi malum non aliter cognoſcatur, quam ſi palpebræ oculi ſani claudantur; quo factô pupilla vitiati oculi ſeſe ſubito ad duplum diametri dilatet, & quidem quocunque lucis gradu præſente, ſanæ vero pupillæ magnitudinem rurfus acquirat, ſi oculus ſanus iterum aperiatur.

§. X.

Cum *cauſæ* morborum apte diſtinguantur in occaſionaleſ, mediateſ proximioreſ & immediateſ: & in indagatiône cauſarum immediateſarum moduſ agendi cauſarum occaſionalium ſive mediateſarum remotiorum præmittenduſ ſit, & deinde oſtendenduſ, quomodo hæ produxerint ſtatuſ partiſ cujuſdam corporiſ humani vel totiuſ præternaturalem, placet cauſaſ occaſionaleſ primo loco rimari.

§. XI.

Offert ſeſe hic *Aer caliduſ*. Expandit hic omnia
B corpo-

corpora; Ergo etiam vasa sanguifera nervum opticum ambientia & ejus substantiam ingredientia, nec non illa, quæ sunt in parte vasculosa retinae; Ergo comprimit illas partes, quin si actio nimia sit, destruit illas, præsertim si nimius solis vel alius ignis vehementis fulgor accedat. Si huic causæ statim ab initio succurratur, antequam veram produxerit Guttam serenam, remedio adhuc locus est; oritur enim, ut probe animadvertit B. BOERHAAVIUS in *tr. de morbis oculorum* p. 63. ab incipienti inflammatione in fundo oculi. Ipsi huic post mortem etiamnum viventi viro contigit, ut in æstu solis summo equitanti per loca arenosa magna macula in fundo oculi enasceretur. Applicavit aquam frigidam, quæ vi sua repellente statim sustulit malum incipiens. Rationem sive modum agendi addit: quod vasa, quæ nimis dilatata sint, contrahantur, & liquido distendenti vis minor concilietur. *Balnea* nimis *calida* eodem modo agunt ac aër calidus, & quantum aqua gravior est aëre, tanto majori gradu rarefaciunt.

§. XII.

Aër frigidus. Insignis hanc in rem habetur casus in *Eph. N. C. Dec. III. Ann. IX. & X. obs. 253. p. 436.* communicatus a SCHÖBERO Lipsiensium, dum viveret, Medico præclaro. Scriniarius nempe quidam propter conspectum honestarum personarum, sub dio, maximo dum gelu omnia rigerent, nudato ut plurimum capite, edolans in magnas incidit cephalalgias, quas postmodum sequebatur visus debilitas. Malum negle-

neglectum excepit Gutta serena & motus epileptici, tandemque apoplexia, licet salivatio mercurialis & trepanatio cranii institutæ fuerint. Aperto post obitum cranio, in bregmatis osse sinistro tumor osseus spongiosus inferne conspiciebatur, in ejusque cellulis substantia medullaris maxima ex parte in gummeam duritiem mutata, magnitudine ultra pollicis crassitiem, & trium digitorum transversorum latitudine. Membranæ cerebri carnis luxuriantis faciem gerebant & fere transversî digiti spatium metiebantur. In altero bregmate contrarium erat phænomenon; cranium enim adeo tenue erat, ut cultri mediocris crassitiem excedens, aëri lucido expositum radiorum solarium transgressum instar cornu pellucidi aut vitri haud difficulter admitteret. Optime Autor citatus phænomena hæcce coagulationi humorum in capite & præfertim cranio & meningibus cerebri a frigore, contractioni harum partium spasmodicæ & extensioni earum per fluida affluentia sequenti tribuit, unde compressis nervis opticis Gutta serena & in reliquo corpore epileptici motus sequuti fuerint ob motum spirituum in parte liberiori majorem. Modus enim agendi frigoris non alius est, quam qualem proposuit. Præcipue vero post refrigerationem capitis prius impense calentis affectus nosse observatus fuit; cum enim tunc vasa nimis distenta sint, & nimis subito restringantur, facile tunc, si humores sint viscosi & alia accedat causa adjuvans, stagnatio in vasibus oritur.

§. XIII.

Uti *balneum* nimis calidum nonnunquam Guttam serenam produxisse visum est (§. II.) ita nimis *frigidum*, præsertim si subito vel improvise illi homines immergantur, hunc affectum nonnunquam produxit.

§. XIV.

Curam recipit ab hac causa profectum malum per calorem temperatum, & coagulum factum resolventia, interpositis antispasmodicis convenientibus, contractionem tollentibus.

§. XV.

Inter *cibos*, saltem ut adjuvans causa Guttam serenam præsertim periodicam, inferentes, sunt *crudi, viscidi*, in magna quantitate ingesti, *legumina, pisces marini, carnes fumo indurate & acida*, quæ omnia visciditatem in massa sanguinea, sive cohæsiorem majorem producant; unde si a quacunque causa rarefactionem producente, humores in oculis nimis expandantur, subtilissimæ & tenerrimæ illæ retinæ & nervi optici fibræ (Proœm.) premuntur, & visionis actio impeditur. Præsertim vero antiscorbutica volatilia, v. g. *ceppæ, sinapi, cochlearia, armoracia* s. raphanus rusticanus, in nimia quantitate ingesta, quæ, aliis causis accedentibus, ad visus debilitatem primo & dein ad Guttam serenam disponunt: agunt enim nimis expandendo humores.

§. XVI.

Curatur causa hæc per diætam strictam, abstinentiam sollicitam ab iis rebus quæ nocere deprehensæ

ſæ ſunt, & reſolventia in primo caſu, ſi nempe a viſcidis & coagulantiſſimis inducã ſit, temperantia in altero, ſi ab acribus ortum duxerit, non neglectis debitis evacuantibus.

§. XVII.

Potus excedens præſertim ſpirituoforum vafa itidem expandit, hinc comprimit cerebri ſubſtantiam medullarem, & thalamos nervorum opticorum atque omnes partes ad viſum neceſſarias. Notabile hic eſt exemplum BOERHAAVII *l. c. p. 83.* qui virum allegat, a largiori Baccho viſus primo hebetudinem, dein vero Amavroſin paſſum, cui vero poſt ebrietatem viſus rediit. In hoc caſu nimius potus ſenſim eſt omittendus, abundantia humorum imminuenda & fibris debilitatis denique robur addendum. *Potus deſciens eodem modo agit ut cibi viſcidi, eandem igitur etiam poſcit medelam.*

§. XVIII.

Motus nimius, ſanguinem nimis ad caput determinando, cum arteriæ cerebri minus ſint elæſticæ, deſtitutæ nempe membrana exteriori, qua aliæ in toto corpore potiuntur, expansionem quin rupturam producit. Præſertim vero ab actione ſive motu nimio muſculorum oculum moventium in leſione, vel fibrarum iridis in conſpectione corporum lucidorum e. g. ſolis vel lunæ plenæ, aut alius ignis concentrati, fibræ retinæ & nervi optici ſic debilitantur & quaſi paralyticæ fiunt, ut facile inde cæcitas vel ad illam diſpoſitio oriatur.

§. XIX.

In hoc casu quieti & somno moderate indulgendum & oculus a nimia contentione & actione arcendus, diluentia vero nonnihil mucilaginosa & temperantia usurpanda. *Quies* nimia contraria postulat, uti contrario modo agit.

§. XX.

Somnus & *vigilia* se habent ut motus & quies, igitur neque alium modum agendi neque aliam curam exigunt.

§. XXI.

Inter *excreta* praesertim huc contribuit nimia *feminae* excretio. Notum est exemplum Juvenis cujusdam, qui, ut nimiam evitaret venerem, a Medicis monitus, cum caecitas jam instaret, dixit: Pereat amicum lumen, & voti compos factus fuit. Exemplum etiam allegat B. HOFFMANNVS in *Med. Consultar. Sect. III. obs. CIV. p. 422.* Hic non compressio ab extra, vel obstructio nervorum est accusanda; sed potius collapsus & marcescentia illorum. Fluidum enim seminale valde est spirituosum, quod debilitas post venerem praesertim nimiam ostendit. Hoc ergo per hanc nimis excreto, in canalibus, qui per totum corpus sunt communicantes, necessario defectus, igitur & collapsus parietum, alias a spiritibus distentorum, oriri debet. Nascitur etiam caecitas post magnam sanguinis effusionem, sed cum haec ad causas praeternaturales pertineat, de ea infra dicendi locus erit. Non tamen hic praetereunda

da est *venesectio* nimia, quam cæcitatem intulisse refert
FONTANVS, *Exemplo 10. f. 48.*

§. XXII.

Fugienda sensim causa, & restituendi humores boni, ex quibus semen & sanguis, aliaque nostri corporis fluida elaborari possint. Id quod fiet per potum, qui ex cacao paratur fructibus, cum lacte, vel per juscula pullorum cohortalium & alia gelatinosa & ex ovis parata; hac vero adhibita cautione, ne nimium subito ingeramus, sed crebrius & repetitis vicibus, quæ danda sunt, demus.

§. XXIII.

Ex animi pathematibus præsertim huc confert *iracundia*, quippe quæ spasmus in ductibus biliariis infert, & sanguinem biliosum sic ad superiora cogit, cum ex eo secernenda bilis resistantiam inveniat. Sequitur hinc, ut vasa in superioribus partibus nimis extendantur, unde rubor faciei, apoplexia sive hæmorrhagia cerebri, hæmorrhagia narium & alia similia symptomata eam excipiunt sæpissime. Illustr. de HAL-
LER in *Diss. de nervorum in arterias imperio* p. 22. nerveam ansam maximam, quæ intestinorum magna vasa mesenterica continet, constringi valentius & alternis laxari in ira contendit, unde necessario non solum illud consequitur, quod ibi adducit, nempe bilis secretio aucta, sed etiam impetus sanguinis ad alias partes præsertim natura sua debiliores, quales vasa sunt cerebri (§. 18.)

§. XXIV.

§. XXIV.

Hic derivantibus & antispasmodicis pugnare maxime convenit; idonea igitur hic erunt pediluvia multoties usque ad mali perfectam curationem; adhibenda non nimis calida, & postquam animi pathema defuerit, laxantia & clysteres, quæ bilem in nimia quantitate secretum & cum chylo æque, ac absque hoc tam per venas mesaraicas, quam per vasa lactea, ad sanguinem tendentem, educere & motum humorum a superioribus ad inferiora, augendo peristalsim intestinorum, determinare possint. Posthac remedia, infra dicenda, stagnationi humorum præsertim biliorum in partibus immediati organi visus, debita adhibenda erunt.

§. XXV.

Mæror quoque multum facit ad Guttam serenam producendam, vel ad eam, si jam adest, augendam, cum eo partes nervosæ insigniter debilitentur. Proficiunt hic grata cardiaca, analeptica & consolatio.

§. XXVI.

E naturalibus causis plurimum hic conferunt *ætas senilis*, utpote in qua humores valde sunt viscosi & vires vitæ adeoque etiam nervorum valde labascere incipiunt, *Temperamentum Phlegmaticum & Melancholicum*.

§. XXVII.

Ex præternaturalibus causis frequentissimæ sunt *febres & maxime exanthematicæ*. In his enim, si retrocessio

cessio contingat, quandoque nervi optici afficiuntur per metastasin; unde non rarum est, post variolas, si illæ doloribus in interiori capitis, vel in orbita & vigiliis contumacibus stipatæ fuerunt, Guttam serenam relinqui. Idem contingit post purpuram & morbillos retrocedentes, vel non satis prodeuntes. Causa hic composita est ex acri & viscido. Ex illo spasmus & ex hoc compressio, & quandoque obstructio oritur. Igitur quovis modo acrimonia temperanda, spasmus abigendus, & viscidum tollendum. Faciunt hoc pro re nata clysteres ex emollientibus compositi, præsertim si alvus diu clausa fuerit, & notæ adsint, in intestinis multam cruditatem hæere, quæ a vasis absorberi & ad massam sanguinis, indeque ad oculos deferri possit. Hisce adhibitis, vesicatoria in partibus inferioribus erunt applicanda, nisi maxima febris exanthematica malignitas & dissolutio jam præsens, ex suis signis cognoscenda, aliud suadeant. In casu certe, ubi multa visciditate abundare corpus cognoscitur, multum proderunt, si diu apertum teneatur ulcus. Ad eliminandam rursus materiam exanthematicam lenia diaphanoica, exque iis præsertim cinnabarina & flores sulphuris cum infusis leniter resolventibus, quæ visciditati simul medentur, maxime commendanda sunt.

§. XXVIII.

Dn. de St. YVES *Traité des maladies des yeux* p. 254. incurabilem pronuntiat Guttam serenam, quæ sequitur febrem acutam, ubi metastasis humoris illam facientis in nervum opticum facta sit. Sed B. HOFF-

C

MANNVS

MANNVS in *Med. rationali systematica Tom. IV. P. V. p. 122.* ostendit contrarium, & talibus ægris hoc pro solamine affert, quod talis Gutta serena multam sanationis spem relinquat. „Accedentibus enim, inquit, pubertatis annis menstruoque fluxu aut sponte disparet, aut „mirum in modum emendatur; tumque opus est, con- „gruis adminiculis adjuvare fluxum;” quin in Enarrationibus morborum *obs. II, III & IV.* exempla curatorum à se ejusmodi ægrotorum adducit.

§. XXIX.

In febribus acutis & inflammatoriis quandoque etiam ob summam sanguinis rarefactionem Gutta serena accidit, & dolore capitis profundo, qui nuntium ejus etiam exhibet, stipata est. Solvitur vel per venæsectionem, vel per crisin a natura factam bonam præfertim vero per hæmorrhagiam narium. AETIUS *L. V. C. 124.* meminit, nonnullas post febres hebetudine visus laborare, nullo medicamento, nisi diæta, sanabili; hæc igitur ejusmodi ægris maxime erit commendanda, cum ut plurimum post exantlatas febres ob longam perpeffam inedia[m] palato nimis indulgeant.

§. XXX.

Post apoplexiam sæpe remanet Gutta serena, & vel cum hemiplegia aut paralyfi totius lateris occurrit, vel sola persistat. Cum enim apoplexia & paralyfis plerumque pro causa agnoscat pressio[n]em cerebri, vel a sanguine vel ab aliis humoribus & subjectis; si pre[m]ens sit in regione thalamorum nervorum opticorum vel

vel etiam ipsorum horum nervorum, hoc etiam paralyfin in hisce partibus producere poterit, quæ paralyfis Guttam constituit serenam. Solvitur hæc species per remedia apoplexiæ & paralyfi debita; febris nempe, sequendo ductum naturæ, per remedia resolventia artificialis inducenda, & derivantibus atque diluentibus moderanda est.

§. XXXI.

Cephalalgia, & præsertim hujus duæ species *cephalea* & *hemigrania* sæpe producunt Guttam serenam; illa in ambobus subinde oculis, hæc in alterutro, quatenus per contractionem spasmodicam fibrarum muscularium & membranacearum, ipsiusque nonnunquam pericranii fibræ nervi optici comprimuntur, quin sæpe contorquentur. Dolores hi ut plurimum a stasi sanguinis vel lymphæ, præsertim acrioris in vasibus suis vel etiam extra ea oriuntur; stasis igitur hæc discutienda & fibræ vasorum relaxatæ roborandæ sunt. Obtinetur hoc per remedia nota salina, antispasmodica laxantibus congruis interposita; adhibendo in fine mixturam polychrestam tonico-nervinam Stahlj, vel chalybeata, aut extractum denique corticis Peruviani.

§. XXXII.

Non vero quilibet dolores capitis inferunt hoc malum, sed magis illi, qui in parte interiori orbitæ dis-cruciant; Notabile hujus rei exemplum habet B. SCHAARSCHMIDTUS in hebdomadariis relationibus Berolini

rolini vernacula scriptis *P. III. p. 132.* ubi in foemina plethorica hemicrania contumaci affecta ob dolores in posteriori orbitæ parte vehementes oculus non solum, sed ipsa etiam pupilla minor evadabat, & adhibitis licet variis remediis, malum aliquandiu lenientibus, præcipue instrumento ferreo lævigatorio calido mediante charta emporetica capiti adplicato, in Guttam degenerabat serenam unius oculi cum resolutione palpebrarum illius lateris. Confirmantur hinc, quæ (§. 31.) de constrictione spasmodica nervos comprimente, & (§. 4.) de specie Guttæ serenæ, quæ in contractione pupillæ præternaturali consistit, protuli.

§. XXXIII.

Hemicraniam, quæ interdum puerperium excipit, sæpius in cæcitatem terminari, perhibet HOFFMANNVS *Med. rat. systemat. Tom. IV. P. IV. p. 116.* qui etiam PECHLINVM citat de Gutta serena cum cephalalgia singulis mensibus, deficiente uteri purgatione, affigente.

§. XXXIV.

Epilepsiæ & convulsionibus quandoque etiam succedit malum nostrum. Exempla habet PLATERVS *lib. 1. observat. p. 100. § 102.* qui & convulsionem cum cæcitate & doloribus colicis periodice quotannis affigentibus observavit. HILDANVS quoque *Cent. 5. observat. 5.* cæcitatem ab epilepsia per vomitum curatam, notavit. In hoc malo non solum contractio fibrarum contingit enormis, sed sæpe etiam, si continens sit & nimis

nimis sæva, tenerrimæ telæ organi visus in unitate sua solvuntur.

§. XXXV.

In talibus hominibus, qui vel post epilepsiam Guttæ serena affecti fuerunt, vel quibus supervenerunt Guttæ serenæ convulsiones, post mortem in cerebro, & maxime in loco, ubi nervi optici separati ad orbitam tendunt, tumores globosi aqua repleti reperti fuerunt, nonnunquam etiam talis humor extravasatus repertus est. Exempli loco adducam casum, qui in BONETI *Sepulebr. Anatom. Lib. I. Sect. XVIII. p. 419.* ex PLATERI *Observationibus* recensetur. Gallus quidam cephalalgia correptus fuit cum vigiliis & imbecillitate capitis. Successerunt his symptomatibus Guttæ serena & tandem per vices convulsiones. Cranio post mortem aperto cerebrum in sinistra præsertim parte tumidius, & tumor sive globus quidam glandulæ seu strumæ instar, inclusus in cerebri substantia, ab ea tamen separatus, propriaque membrana dura contentus, inæqualis, pondere XIV drachmarum, nervorum opticorum in cerebro exortui incumbens, repertus fuit, cujus interior substantia albumini ovi indurato pene similis erat.

§. XXXVI.

Hic epilepsiæ primum mederi convenit, priusquam Guttæ serenæ aggrediamur curationem. Irritans igitur, epilepsiam inducens, quodcunque demum illud fuerit, ex suis fontibus cognoscendum, primo tol-

C 3

lendum

lendum & dein antispasmodica & antepileptica, præfertim vero pulveres temperantes cum lumbricis terrestribus, vel pro re nata oleum animale Dippelii methodo nota, erunt adhibenda. Cessabit sic strictura nervos organi visus immediati comprimens & sæpe contorquens. Noxa dein ab his causis illata, quæquæ ut plurimum in stagnatione humorum & debilitate fibrarum consistit, resolventibus congruis & roborantibus scite subordinatis est abigenda.

§. XXXVII.

Convulsionibus valde affinis est vomitus & purgatio nimia a drasticis remediis vel venenis inducta. His Guttam serenam inductam fuisse, probat AMMANVUS *Med. crit. cas. 79. p. 530.* & TIMÆVS a GÜLDENKLEE *Lib. 1. Epist. 20. p. 498.* &, probe notante HOFFMANNO, plethoricis & cacochymicis præcipue hoc accidit. Cum enim hic, præcipue vero in vomitu, summa fiat constrictio spasmodica fibrarum primas vias & partes vicinas moventium, sanguis, qui in tanta quantitate vasa adit meseraica, necessario ad superiores partes & maxime ad debilissimas ex illis (§. 18.) appellitur, & eas ad rupturam usque expandit.

§. XXXVIII.

Sana ratio dicitur, in hoc casu (§. 37.) omni ope eo annitendum esse, ut motus humorum versus superiora imminuatur & versus inferiora determinetur. Faciunt hoc clysteres lenientes & paregorici ex speciebus emollientibus additis oleis hac virtute conspicuis

cuis compositi. Meminit quidem HILDANVS *Cent.*
5. obs. 19. quendam visu a vomitorio dato privatum,
 & eodem remedio restitutum fuisse; sed medela hæc
 nequaquam ad imitationem est proponenda, cum non
 omnes homines eadem humorum fluxilitate & fibra-
 rum nervearum robore donentur, ut effectus motus
 aucti versus certam partem eodem motu aucto iste-
 rum tollantur.

§. XXXIX.

A suppressa æque, ac nimis larga alvina excre-
 tione oritur Amavrosis, si illi superveniant ventris
 tormina, sive colici dolores, sanguinis motum ad ca-
 put determinantes. Proficui hic iterum sunt clysteres,
 & si temperamentum non sit calidum, vel homines ad
 spasmos proniores, laxantia efficaciora, qualia sunt
 pilulæ polychrestæ sive balsamicæ, stimulo quodam ex
 Gummi ammoniaco in aceto squillitico soluto & ite-
 rum inspissato, vel Mercurio dulci acuata; quandoque
 enim leniora & clysteres non sufficiunt, sed scybalis ni-
 mis duris & tenacibus, tanquam duro stipiti durus
 opus est cuneus, præmissis tamen, quæ mobilia illa
 reddere possint.

§. XL.

Excipiat hanc excretionem retentam sanguinis
 excretio sublata, in mensium nimirum lochiorum &
 hæmorrhoidum suppressione. Obice hic sanguini in
 vasis uterinis & vicinarum partium atque hæmorrhoi-
 dalibus posito, necessum est, cum ad superiora loca
 redun-

redundare, & cum excretiones hæ ordinario periodice contingant, periodicam etiam Guttam Serenam plerumque generare. Ut tamen ea producat, spasmus quidam & determinantes ad oculum causæ ex occasionalibus (§ 11.-25) accedere debent, alias enim omnes fœminæ mensium & lochiorum suppressione & omnia subiecta hæmorrhoidum retentione laborantia ea affecta esse deberent. Hinc malo hysterico obnoxie præcipue opportunæ sunt in tali statu huic malo.

§. XLI.

Pugnandum venæsectione revulsoria in pede, pediluviis & pilulis balsamicis eo tempore adhibitis, quo instare alius fluxus solet. HOFFMANNVS quidem incisionem venarum frontis vel arteriarum temporalium venæsectione in pede longe utiliorem censet, & observationem BONETI *Anat. Pract. p. 420.* pro argumento adfert; quod nempe cæci ex vulnere fronti inflictio & hinc secuta larga hæmorrhagia visum recuperarint, sed obstat, quod idem BONETVS ibidem, a venæsectione in fronte instituta in rustico dolore capitis ingenti afflictio Guttam Serenam ortam esse, perhibeat; probe addit BONETVS in nota: præmitti debuisse venæsectionem per vasa communia, sic enim cum hoc non factum fuerit, sanguinem ad proxima nervis opticis vasa derivatum fuisse; adderem ego, prius probe explorandum fuisse, an ab excessu sanguinis ortum fuerit malum, aut saltem ille foverit hoc.

§. XLII.

§. LXII.

In hæmorrhoidariis hirudinum applicatio propria & specifica quasi est evacuatio. Hæc igitur in hoc statu, erit administranda, non neglectis, quæ inferius indicabuntur.

§. XLIII.

Post partum sæpe subitanea oritur cæcitas ob rationem (§. 41.) allatam, præcipue si plethoricæ & thorosæ sint foeminæ, quæ hanc ob causam a quibusdam Guttæ Serenæ mulierum nomine venit. Adest plerumque simul cephalalgia a congestione sanguinis versus caput, a spasms & doloribus partus producta, unde etiam quandoque in ipso partu nimis laborioso contingit. Summi hic usus est venæsectio in pede, sic enim plethora particularis in cerebro tollitur, & sanguis ad inferiora determinatur. Præservari potest hoc malum in gravidis, si tempestive, etiam repetitis vicibus, urgente plethora, instituat venæsectio, sic enim partus longe facillius & absque tantis moliminibus succedit, præcipue si in victu temperantia, & ab animi pathematibus abstinentia accedat.

§. XLIV.

Non in hoc solum casu, sed etiam in prioribus (§. 43.) plerumque juncti sunt & antecedunt dolores capitis in regione orbitæ, & quidem parte hujus postica, indicantes nimis expandi & distendi vasa ab humoribus in majori quantitate eo delatis.

D

§. XLV.

§. XLV.

Vidimus sanguinis excernendi suppressionem, convenit, ut etiam, quantum ad visum turbandum adferat excretio ejus nimia, attendamus. A venafectione oriri posse Guttam ferenam, supra (§. 41.) vidimus. Nec obscura potest esse hujus rei causa. Cum enim in iis, qui admodum debiles vel mobiles, sunt, sanguis statim non rite propellatur, si vel exigua tantum ejus portio detrahatur, testante id pulsu debili, & animi deliquis succedentibus, necesse est, ut etiam ad cerebrum & partem hujus, unde nervi oriuntur optici, non rite adpellat, fibræque ejus non amplius decenter distentæ concidant sive subsideant, & motum ab actione objectorum externorum impressum non rite ad cerebrum, animæ sedem, transferant.

§. XLVI.

Ab uteri quoque hæmorrhagia, vomitu cruento & aliis hæmorrhagiis, ortam quandoque esse ferenam Guttam, memoriæ proditum est. Omnes hæ causæ cum defectum sanguinis in toto, & determinationem versus caput supponant, tolluntur per moderatam corporis per bonum sanguinem repletionem, dictam §o 22, & per roborationem partium adfectarum mediante balsamo vitæ fronti & temporibus, sale vero ammoniacali volatili cum oleis destillatis naribus adplicato, perque remedia derivantia quævis.

§. XLVII.

Exempla mali nostri a vulneribus capitis, præsertim

fertim nervorum ad oculos abeuntium, e. g. rami illius nervi ophthalmici, qui ex orbita in supercilii regione egreditur, a contusione & concussione capitis, ab ictu oculorum, & ab ulceribus & tumoribus harum partium orti, dantur plurima. Sic VALSALVA ab ictu galli Indici supercilio illato observavit Amavrosin, & curavit illam frictione supercilii in dicta regione *Disfert. Anat. 11. & Celeb. PLATNERVS* tam in *Institutionibus Chirurg.* de hac Amavroseos specie egit, quam in *Progr. de Vulneribus superciliis illatis, cur cecitatem adferant.* A contusione capitis eam natam fuisse referunt *Eph. N. C. Dec. I. Ann. II. obs. 166. p. 264. seqq.* A vulnere exili in cantho oculi sinistri punctim inflictio, amavrosis, teste *Cent. III. obs. 55. p. 130. seq.* & ab ictu, cum pugionis extremo globulo coriaceo, obtuso, oculo suscepto, *l. c. Cent. X. obs. 28. p. 299. seq.* eadem aliquando orta est. Ab ozæna, a tumore in interiori parte ossis bregmatis, a vesicatorio pone aures posito, a stramine in naribus fracto, a stercore columbino in oculum illapso ortam, eadem præclara Ephemerides exempla adferunt. *Dec. III. A. IX. & X. obs. 123. p. 232. seq. Ibid. obs. 253. p. 436. seq. Dec. III. ann. III. obs. 66. p. 80. & Dec. II. Ann. V. obs. 122. p. 76.*

§. XLVIII.

Remedia harum specierum Guttæ serenæ redeunt ad remedia causarum dictarum (§. 47.) Abigenda nempe ex suis fontibus est soluta unitas, & tumores tollendi, si fieri possit. Post hæc vero roborandi sunt nervi per ea, quæ (§. 46.) dicta fuere, & derivantia

vantia adplicanda. Ulcera & tumores a venerea labe orti in specie postulant Mercurialia & salivationem. Illa etiam quandoque in aliis casibus, ubi malum hæret in vasibus sanguiferis, nec ipsam nervorum substantiam adhuc dum labefactavit, teste Celeb. *Richardo MEAD operum Med. Tom. I. p. 86. edit. Göttingens.* locum habent, sed eodem monente, diu illis insittendum est, & plerumque quidem eatenus, quoad salivæ fluxus larga copia per 20 vel 30 dies concitatus fuerit.

S. XLIX.

Dixi meditare & consulto (§. 48.) si fieri possit. Quis enim curabit Amavrosin a tumore globofo in cerebro nervos opticos comprimente, a vesica idem faciente, ab abscessu in processibus mammillaribus, a tumore steatomatico inter cerebrum & cerebellum, a repletionem cavitatum cerebri per sanguinem vel serum nimia, qua structura ejus plane everfa est, a corruptione nervorum opticorum, a nervis iisdem crasse factis & fragilibus & similibus malis, quorum ne quidem certa dantur signa? licet enim quandoque dolorem fixum & functiones læsas comites habeant, sunt tamen hæc signa neque constantia satis, neque semper clara. Mercurialia & salivatio sustulerunt quandoque, ipso etiam summo *BOERHAAVIO* consentiente *de morbis oculorum edit. Götting. 1746. p. 77. 5 78.* Amavrosin a tumoribus & ulceribus, quin ab exostosi in venerea lue. Igitur, quæ solidorum vitia hæc non curabit, difficulter & forsitan plane non curabuntur, nisi pro statu morbi vario remedia alia fortissima convenientia

nientia adplices, quæ eandem præstent mutationis quantitatem ac salivatio. Sed ars suos habet limites & quandoque omnia, etiam optima remedia, irrita fuisse, compertum est.

§. L.

Pertractavimus jam omnes causas mediatas remotiores (§. II. 25.) & proximiores, quæ vel naturales erant vel præternaturales (§. 26. 49.) Amavroscos; sequitur, ut ex his causam immediatam ejusdem concludamus, & definitionem (§. I.) causam hanc continere probemus.

§. LI.

Omnes dictæ causæ in eo conveniunt, quod vel retinam, vel nervos opticos, vel thalamos eorundem, vel hos mediante cerebro præternaturaliter mutant; Jam vero hæ partes sunt pars medullaris organi visus; Igitur constat Guttam serenam esse, sive quod idem est, constitutionem mutationem præternaturalem partis medullaris organi visus; cumque mutatio hæc, ut dictum, miris possit variare modis, constabit etiam, perperam eos agere, qui ob nomen idem eodem modo omnes Gutta serena affectos curare satagunt. Hinc videre est, cur remediis plane contrariis curati fuerint Gutta serena laborantes, & cur, quod uni profuit, nocuerit alteri.

§. LII.

Si tamen generalem morbi nostri curationem tradere debeamus, ut in sublacione constitutionis istius

præternaturalis (§. 51.) illam ponamus, opus erit. Multis in locis modus agendi causarum occasionalium jam indicatus fuit, adeoque etiam constitutio præternaturalis ab iis inducta, & remedia contra eam adducta fuerunt; sed in obscuris illis casibus (§. 49.) quibus etiam lapides thalamos nervorum opticorum, vel ipsos hos nervos prementes accensere licet, nihil agendum restat, quam ut augmentum mali impediamus, humores aliorum determinando, & si e specie doloris unitatem solutam, vel tumores, vel peregrina quædam ibi hærentia, conjiciamus, temperantia, balsamica vel resolventia diu continuemus, probe attendentes ad nocentium & juvantium rationem,

§. LIII.

Determinationis aliorum sine (§. 52.) conveniunt vesicatoria nuchæ, vel pone aures, adplicata, quin suadente Celeb. MEAD. *l. c. p. 87.* ipsa caustica vertici, qua sutura coronalis sagittali committitur, admovenda. In illorum vero æque ac horum usu cavendum, ne festinanter nimis ulcera inde nata occludantur, alias enim malum sæpe loco imminutionis caput augmentum; aperta potius tenenda sunt quoad usque ob ægri sensibilitatem, vel mali pertinaciam & fieri potest & debet.

§. LIV.

Eodem sine (§. 53.) etiam conducunt post adhibita prius generalia cuique causæ accommodata, resolventia nempe, vel venæsectionem, vel quamcunque sanguinis

guinis, si opus sit, evacuationem, vel temperantia, laxantia quin purgantia paullo efficaciora, quippe quæ si causa adhuc sit in vasibus sanguiferis (§. 48.) contractione horum ob resistantiam in inferiobus partibus imminutam, locum dant.

§. LV.

Si materialis causa constitutionis præternaturalis organi visus (§. 51.) adhuc sit mobilis, quod e doloribus vagis & accessionibus & remissionibus mali alternis cognosci potest, locum etiam habent discutientia valida e spirituosis quibuslibet, balsamicis, herbis nervinis & coronariis & volatilibus salibus parata, quæ vero omnia ut & quævis moventia summam postulant circumspectionem.

F I N I S.




01 A 6551

ULB Halle 3
002 937 832


f
se

WMA







B.I.G.

Farbkarte #13

9.
8

DISSERTATIO INAUGVRALIS MEDICA

DE

GVTTA SERENA

QVAM

AVSPICE SVMMO NVMINE

ET

CONSENSV GRATIOSAE FACVLTATIS MEDICAE
IN ALMA ET PERANTI^{QVA} HIERANA
SVB PRAESIDIO

DN. D. JOH. HIER. KNIPHOFII

ANAT. CHIRVRG. ET BOTAN. PROFESS. PVBL.
FACVLT. MED. ASSESS. ORDIN. ET P. T. DECANI,
ACAD. CAESAR. NAT. CVRIOS. ADJVNCTI ET BIBLIOTHECARII,

PRO

GRADV DOCTORIS

SVMMISQVE IN ARTE MEDICA HONORIBVS
ET PRIVILEGIIS DOCTORALIBVS

LEGITIME IMPETRANDIS

PVBLCO ERVDITORVM EXAMINI SVEMITTIT

RESPONDENS

JOH. GOTTFRIED HOFFMANN

DÜNCKELSPIEL-SVEVVS
PRACTICVS VPILSDRVFFENSIS.

H. L. Q. C. A. S. R. M DCC LI. DIE IX. AVGVST.

ERFORDIAE

Typis JO. CHRISTOPH. HERINGII, Acad. Typogr.

